

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Historia Zaringo Badensis**

**Schöpflin, Johann Daniel**

**Carolsruhae, 1765**

LIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

## LIX.

SENTENTIA HENRICI EPISCOPI ARGENT. DE  
 REGALIBUS EPISCOPO LAUSAN. PER DUCEM  
 BERCHTOLDUM NOMINE CÆSARIS  
 NON CONFERENDIS.

ANNO MCLXXIV.

*Ex autographo.*

**H**enicus Dei gratia Argentinensis Minister humilis. Residentibus nobis in presentia Domini nostri Imperatoris cum aliis Episcopis & Confratribus nostris, confidentibus etiam multis Baronibus — Dominus Rogerius Lausanensis Episcopus de ipso Imperatore querimoniam depofuit, dicens, quod ipse Dominus Imperator tempore Haimedei Episcopi Antecessoris sui, dignitatem ipsius Lausanensis Ecclesie in tantum diminuerat, quod cum Lausanenses Electi a sola manu Imperiali regalia accipere semper consuevissent & deberent, ipse Dominus Imperator Jus suum in regalibus concedendis *Duci Berchtoldo* contulisset, nec super hoc tunc temporis Lausanensem Episcopum citasset, nec presentem nec confessum seu convictum denuntiasset. Plurimas etiam molestias & injurias contra Ducem Berchtoldum, quamvis absens foret proponebat.

Ad hoc Dominus Imperator respondit, se quidem predicto Duci Berchtoldo illud Jus contulisse, & cum Dux Berchtoldus jus istud per eum possideret, eo absente se respondere debere negabat: cumque super

his Dominus Imperator a nobis sententiam quesivisset, juxta Conscientiam nostram judicavimus, quod Dominus Imperator in hijs, que Laufanensis Episcopus adversus eum proponebat, etiam Duce absente, Episcopo Justitiam exhibere deberet, in hijs vero que contra Ducem proponebat, Duce rationabiliter citato, ejus presentiam expectaret. Huic sententiæ Dominus Archiepiscopus Bisuntinus & Spirensis & Gebennensis Episcopi consenserunt. Cum autem a Basileensi Episcopo quereretur de consensu sententiæ judicavit, quod Dominus Imperator nec debuit nec potuit Duci Berchtoldo conferre jus regalium & auferre Ecclesiæ, verum tamen, quia in qualicunque possessione dicebatur esse per Dominum Imperatorem, dixit quod non debebat hoc retractari nisi Duce presente vel absente ob Contumaciam. Huic sententie multitudo Laicorum consensit.



## LX.

INSCRIPTIO INSERTA MURO AD LATUS SINISTRUM, ALTARIS ECCLESIE B. MARIE VERONÆ.

ANNO . MCLXXVII.

**A**nno Domini MCLXXVII. VII. Kal. Aug. indist. X. D. Alexander PP. III. dedicavit Altare majus S. M. antique Verone in honorem B. Marie virginis ubi interfuerunt D. Ubaldus Ostiensis. Gualterius Albanensis. Gulielmus Portuensis. Conradus Sabinensis Episcopi Cardina-